



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

XXXIII. S. Melchiades.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

3. q. 1. c. redim. *det securus teneat. Et alibi in synodalibus Patrum decretis, & regum edictis legitur statutum. Redintegranda sunt omnia exspoliatis, vel eiectis Episcopis presentialiter ordinatione Pontificum, & in eorum potestatem, unde abscesserunt, funditus reuocanda, † quacunque conditione temporis, aut dolo, aut captiuitate, aut \* violentia malorum, aut per quascunque iniustas causas res Ecclesie vel proprias, aut substantias suas perdidisse noscuntur, ante accusationem, aut regularem ad Synodum vocationem eorum, & reliqua. Multa adhuc in eadem ad idem probandum subiungit.*

† quacunque.  
\* virtute ma-  
iorum.

## XXXIII.

## S. MELCHIADES.

A. CCEXI.

Tob. 4.

Confirmatio.

**M**ELCHIADES, natione Afer, sedit annos 4. menses 7. dies 8. Fuit autem temporibus Maxentii & Volufiani & Rufini Consul. Hic ordinauit Episcopos vndecim, presbyteros 7. diaconos 5. & 4. Idus Decemb. migravit ad Dominum. Iste autem in epistola, quam Hispanis Episcopis direxit, eos rogando & obsecrando instruxit, vt primò semper omnia diligenter inquirent, & cum iustitia & caritate diffiniant, neminem ante verum & iustum iudicium condemnent, nullum suspicionis arbitrio iudicent, sed primum probent, & postea caritatiuè sententiam proferant, & q. sibi fieri nolunt, alteri non inferant, & Episcopos non iudicent aut condemnent absque Romanæ sedis auctoritate. quod si fecerint, irritum erit, & facientes condemnabuntur, quia hoc priuilegium ipsi Romanæ sedi à temporibus Apostolorum seruari statutum est. quia quamuis cunctorum Apostolorum par electio foret, beato tamen Petro concessum est, vt aliis præmineret, & causas & interrogationes, quæ ad querelam venirent, prudenter disponeret. Idem prædictus Pontifex in eadem epistola eosdem querentes instruxit, sacramentum impositionis manuum Episcoporum maius esse, quàm baptismi, quia à maioribus, id est, à summis Pontificibus fit, & à minoribus perfici non potest, vt ideò maiori veneratione venerandum & tenendum est, sed ita tamen hæc duo sacramenta cõiuncta sunt, vt ab inuicem, nisi morte præueniente, nullatenus possint segregari, & vnum sine altero ritè perfici non possit. Nam vnum sine altero præueniente morte potest, aliud autem non potest. Non tamen dubitare debemus, vt plenitudinem de fonte suscipiamus, quia Spiritus sanctus qui super aquas salutiferi baptismi descendit in lapsu in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad grati-

gratiam. In baptismo enim regeneramur ad vitam, post baptismum verò confirmamur ad pugnam. Et si continuò transitoris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se saluat mox in pace beati seculi recipiendos, confirmatio armat & instruit ad agones mundi huius & prælia reseruandos. Idem Papa in eadem epistola interdicit, ne quis ieiunium Dominicæ diei, & quintæ feriæ celebret, vt inter ieiunium Christianorum & gentilium, fidelium & infidelium. vera, & non falsa discretio habeatur.

## XXXIV.

## S. SILVESTER.

A. cccxiv.

**S**ILVESTER, natione Romanus, ex patre Rufino, sedit annos 23. menses 10. dies 11. Fuit autem temporibus Constantini & Volusiani Consul. Hic diuersis temporibus ordinavit Episcopos 65. presbyteros 42. diaconos 26. Hic persecutionem fugiens diu in monte Soracte latuit, sed postmodum cum gloria rediens Constantinum baptizauit, quem Christus in ipso baptismo à squalore lepræ mundauit. Hic potestate DEO liberè seruiendi accepta, constitutum fecit de omni Ecclesia. Huius etiam temporibus eius præcepto facta Synodus in Nicæa Bithyniæ, & congregati sunt trecenti & decem & octo Catholici Episcopi, qui fidem integram, catholicam, & immaculatam exposuerunt, & Arrium & Photinum & Sabellium, eorumque sequaces damnarunt.

Eodem quoque tempore etiam ipse iam dictus Papa præfati Constantini Augusti consilio canonica vocatione in urbem Romam ducentos septuaginta septem Episcopos congregauit, & iterum, tam Callistum, quam Arrium, & Photinum, & Sabellium damnauit: & constituit, vt nullus presbyter Arrianum resipiscentem suscipere, nisi Episcopus eiusdem loci eum reconciliaret, & sacrosancto chrismate confirmaret. In qua etiam Synodo consensu & subscriptione omnium constitutum est, vt nullus laicus clerico crimine inferre audeat, & vt presbyteri non aduersus Episcopum, nec diaconi aduersus presbyterum, nec aliqui minores gradus, aduersus quemlibet maiorem gradum habentem det aliquam accusationem, & non damnentur presul quilibet nisi 72. testibus, neque Presul summus à quocumque iudicetur. Presbyter Cardinalis nisi in 44. testibus non

E 2

damna-